



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Constans Defensio, Ex S. Scriptvra, Et Vera Catholica
Doctrina, Atqve Observatione Vniuersalis Christianæ
Ecclesiæ Deliberationis de Christiana Reformatione**

Bucer, Martin

Genevae, 1613

De votis monasticis 139

urn:nbn:de:hbz:466:1-34315

Iesu Christi, non dissolutionis. Plurimi etiam Abbates tanta imperitia vite & actionum diuinarum laborant, vt veris Ecclesiis Christi non sit licitum ipsorum testimonia consensumque in ordinatione ad ministerium Ecclesiasticum recipere, taceo, multum de eis querere.

Quamobrem cum in eum abusum Monasteria prolapsa sint, certè nihil aliud à nobis requiritur in tanta dissipatione, dissolutione & peruersione monastica vitæ, sicut etiam, proh dolor! totius Clericatus, quam vt vndecunque possumus, tam ex monasteriis quam aliunde vbiunque reperiri queunt, colligamus, & ad ministerium Ecclesiæ ordinemus, quicumque ad id idonei iudicantur. In eo enim summa rerum posita est, vt Ecclesiæ per verè Christianos & idoneos ministros administrantur, quorum hoc tempore horrenda inopia est: cui certè quàm citissimè optimèque fieri potest, subueniri debet.

Subnectunt Aduersarij hoc loco Monachos qui ad Ecclesiæ ministerium ordinantur, non debere à priori proposito recedere.

Quod eò referunt, vt eiusmodi Monachi nihilominus priora vota sua obseruent. Quod verum est, quatenus ea piè & ad prouectum ministerij Ecclesiastici obseruari possunt. Verum de votis Monasticis proprium articulum qui proximè sequitur, posuerunt, in quo latius ad obiectionem istam à nobis respondebitur.

De votis Monasticis.

Quo fucococontentur Aduersarij Monasticis votis patrocinari.

CAP. CXXXIX.



ONANTUR Aduersarij & scripturis & autoritate S. Patrum tueri, imò ex S. Scripturis se probasse prædicant, vota quæ substantialia vocant, vt castitatis seu cœlibatus, obedientiæ item & paupertatis voluntariæ, hoc est abdicationis omnis proprii, traditionisque omnium priorum temporalium bonorum in manus Præpositorum in monasteriis.

Primum igitur videamus, quibus Scripturis, & quàm firmiter ea comprobant: Deinde causas assignemus, propter quas proposuimus ea abrogare.

Quo fucococontentur Aduersarij Monastica vota probare.

SCRIBUNT Dominum dixisse, Matth. 19. Sunt Eunuchi qui seipfos castrauerunt propter regnum cœlorum. Qui potest capere capiat. Item ad diuitem iuuenem, Si vis esse perfectus, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in regno cœlorum, & veniens sequere me. Quare castitatem, paupertatem & obedientiam vouere rem esse diuinam.

Hic perpende quæso, Christiane Lector, qualis ista connexio sit, Dominus dixit, sunt quidam Eunuchi, qui à coniugio abstinent propter